



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Chronologia Christiana

**Herbipoli, 1694**

Sæculum XIII. Ab Anno 1200. ad 1300.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65495)

forptum sit, spatiumque ejus aquâ in-  
 credibilis profunditatis repletum A.  
 1156. \* Manifestè in luna conspicitur  
 figura S. Crucis 1157. \* Ingens morta-  
 lum clades ex Belgica Oceani effu-  
 sione per 12. milliaria 1164. \* Latini in-  
 numeri cujusvis Ordinis crudeliter à  
 Græcis cæsi 1183. \* *Andronicus Alexii*  
 nepotis strangulator, Camelo præpo-  
 sterè impositus vulgi furore frustatim  
 ferreis harpagonibus discerpitur 1185.  
*Fridericus* Imperator olim Ecclesiæ in-  
 cendiarius, schismatis excitatis, in Ar-  
 menia coram exercitu miserè mergi-  
 tur 1190.



## SÆCULUM XIII

AB ANNO 1200. ad 1300.

*S. I. Romani Pontifices.*

CLXXIX. **H**ONORIUS III. Rom:  
 el: A. 1216. multis pro  
 recuperatione terræ Sanctæ, laudabi-  
 liter actis *optimus Pastor Ecclesie* obiit

K 6

A. 1227.

A. 1227. die 26. Febr. PROPH. MALACH:  
*Canonicus de latere:* fuit enim familiâ Sa-  
 bellâ, *Canonicus S. Ioannis Lateranens.*

CLXXX. GREGORIUS IX. Ita-  
 lus Anagninus elect. A. 1227. Vir eru-  
 ditione & pietate valdè insignis, mo-  
 numentum suæ doctrinæ posteris re-  
 liquit V. libros decretales. pro Eccle-  
 sia fortiter stetit adversus *Fridericum*  
*II.* a quo multa perpeffus obiit A. 1241  
 d. 22. Aug. PROPH: MALACH: *Avis O-*  
*stiensis.* Fuit è familia Comitum Signiæ  
 Episc. & Cardinalis Ostiensis. In insig-  
 ni suo exhibens avem.

CLXXXI. CÆLESTINUS IV.  
 Mediolanensis jam grandævus elect:  
 A. 1241. sedit nonnisi 18. dies, & ob-  
 iit eodem Anno 9. Octob. post hunc  
 vacavit sedes per annum & 8. vel 9.  
 menses. PROPH: MALACH: *Leo Sabinus.*  
 Episcopus & Cardinalis erat *Sabinus*  
 & insignia ejus *Leo.*

CLXXXII. INNOCENTIUS IV.  
 Italus Genuensis dictus Sinibaldus.  
 Elect. Anno 1243. quantum *Friderico*  
 Imp: cum Cardinalis adhuc esset, erat  
 in

in amoribus, tantum postea odio habitus, ita ut in Galliam (tunc temporis veluti *portum* agitatae *naviculae Petri*) confugere cogeretur. Omnibus demum suis Ecclesiae persecutoribus humiliatis à potenti manu Dei, obiit Neapoli in Campania An. 1254. die 7. Decemb. PROPHET: MALACH: *Cornes Laurentius*. Comes enim fuit Lavanix de domo Felisca & Cardinalis S. *Laurentij* in Lucina.

CLXXXIII. ALEXANDER IV. Italus Anagninus elect: A. 1254. de illo Onuphrius Panvinius ita scribit. Alexander IV. *Vir doctrinâ, eruditione & Sanctitate insignis*. devicto Ezzelino tyranno per suum exercitum cruce insignitum, ductore Cardinale *Octaviano*: & pace inter diffidentes Germanix Principes compositâ obiit A. 1261. die 25. Maij. PROPH: MALACH: *Signum Ostiense*. Comes enim fuit de *Signia* & Episc. Cardinalis *Ostiensis*.

CLXXXIV. URBANUS IV. Gal-  
lus Trecis in Campania natus, elect.

An:

An. 1261. Patre natus fuit Sutore veteramentario &, litteris ac virtute emerfit, ut Trecis primò Canonicus, pòst Lauduni Archidiaconus, tum Episcopus Verdunensis, & simul legatus à latere *Innocentij IV.* per Pomeraniam, Prussiam, Livoniam & Germaniam, inde Patriarcha Hierosolymitanus ac demum Pontifex insigniretur, obiit maximâ virtutis ac Scientiæ famâ A. 1264. die 4. Octob. *PROPH: MALACH: Jerusalem Campania.* fuit enim in Campania natus, & Patriarcha Hierosolym.

CLXXXV. CLEMENS IV. Gallus Narbonensis elect: A. 1265. Pauperes Christi Ecclesiæ proventibus liberalissimè aluit, suos autem consanguineos adeò parcè habuit, ut filiarum alteri, quas, ante Ordines susceptos, matrimonio genuerat, pro dote nõ nisi 300. Francos, & alteri, quæ Monasterio se abdiderat, tantum triginta penderet. Cuidam autem nepotum suorum, qui jam triplici beneficio dotatus erat & quartum rogârat, & quartum negavit & duo ademit. Per *CAROLUM Andegavensem*

*vensem* fratrem *Ludovici* Gallix Regis superavit *Manfredum* Tyrannum, illegitimum filium *Friderici II.* & pace Italix redditâ gloriosè obiit A. 1268. d. 29. Novemb: PROPH: MALACH: *Draco depressus.* Ejus insignia Aquila unguibus Draconem tenens.

CLXXXVI. GREGORIUS X. Italus Placentinus elect: An. 1271. postquam tribus annis sedes à morte Clementis vacâisset, Gregorius tunc Archidiaconus Leodiensis Ecclesiæ, neque Episcopus, neq; Cardinalis adhuc, ad Pontificatum postulatur tanquam aptissimus, & meritissimus in tota Ecclesia, ejusdem Confirmatione Augustissima Domus AUSTRIACA in *Rudolpho I. Habsburgico* Imperij insignia longæ posteritati transmittenda capeffere incepit. Concilium Oecum: Lugduni celebravit, Græcam Ecclesiam Latinæ, jam decimâ tertiâ vice divisam reunivit, ac meritis plenus Sanctissimè obiit A. 1276. die 10. Jan. PROPH: MALACH: *Anguineus Vir;* fuit è familia *vice-comitum* quibus SYMB: *Anguis est.*

CLXXXVII.

## CLXXXVII. INNOCENTIUS

V. Burgundus Ordinis erat S. *Domini-  
ci* & vocabatur Petrus de Tarentasia  
elect: A. 1276. Vir apprimè litteratus,  
de cujus prudentia & virtute singula-  
ri Ecclesia plurima sibi pollicebatur,  
sed morte spem præscindente obiit A.  
1276. Postquam sedisset tantum 5.  
menses. PROPH: MALACH: *Concionator  
Gallus*, fuit *Gallus* & Ord: *Prædicatorum*.

## CLXXXVIII. HADRIANUS V.

Italus Genuensis elect. A. 1276. illud  
de Pontificia Coronâ triplici iudicium  
tulit: *magis Spinis, quàm gemmis con-  
stitam esse*. Pace *Rudolphum* Imperato-  
rem inter, & *Carolus* Siciliæ Regem  
Sancitâ, obiit A. 1276. die 15. August:  
PROPH: MALACH: *Bonus Comes*. Ante  
Pontificatum appellabatur OTTO BO-  
NUS, & Comes fuit Lavoniæ de Flis-  
câ familiâ.

## CLXXXIX. JOANNES XIX.

Lutitanus Olisiponensis, aliàs dictus XXI.  
Vir Regibus Hispaniæ ac Galliæ nec  
non *Michaeli Palaologo* Imperatori  
Græco magni æstimatus, ob erudi-  
tio-

tionem ac sollicitudinem pastorem  
 pro Ecclesia. Obiit A. 1277. die 16.  
 Maij. **PROPH: MALACH: Piscator Tus-**  
*cus*: fuit enim ante Pontificatum di-  
 ctus *Petrus Hispanus*, Episc. Cardi-  
 nalis *Tusculanus*.

**CXC. NICOLAUS III.** Romanus  
 antea dictus Joan: Cajetanus Urfinus  
 elect: An. 1277. vir fuit eruditione  
 magnâ conspicuus, Sagacissimus in  
 Consiliis, fortissimus in exequendo, &  
 moribus incontaminatis vitâque illi-  
 batâ, si unam illam maculam exce-  
 peris, quam famæ eius adspersit affe-  
 ctus Sanguinis, & cura nepotum: cæ-  
 tera laudatissimus obiit A. 1280. **PRO-**  
**PHET: MALACH: Rosa composita:** fuit enim  
 ex Familia Urfini, quæ *Rosam* gerit  
 pro insigni, & ob morum decorem di-  
 ctus erat *Urfinus Compositus*.

**CIXC. MARTINUS IV.** (ab aliis  
 II. qui duos Pontifices in Superioribus  
 Sæculis Marinum I. & Marinum II. pro  
 Martino nominant) Gallus Turonen-  
 sis elect: A. 1281. *Vir fuit Sanctissimus,*  
*adeo, ut cæci, mæti & claudi ad ejus Sepul-*  
*chrum*

*chrom Sanitatem recuperarint. hæc Tri-  
them: in Chron: Mon: Hirsang. Obiit A.  
1285. die 29. Martij. PROPH: MALACH.  
ex Telonio Liliacei Martini. Ejus insigni-  
nia lilia, Canonicus & Thesaurarius  
S. Martini Turonensis.*

CLXXXII. HONORIUS IV.  
Roman. elect. A. 1285. *Vir omni vita  
probatissimus appellatur à Platinâ.  
Quelfforum, & Gibellinorû factiones,  
quæ Italiâ turbabant, ex magnâ parte  
prudentiâ & severitate sustulit. Obiit  
A. 1287. die 3. April. PROPH: MAL: Ex  
Rosa Leoninâ, fuit è familia Savella si-  
ve Sabella. Insignia habuit Rosam à  
Leonibus gestatam.*

CLXXXIII. NICOLAUS IV.  
Italus Esculanus ex Ordine *S. Francisci*  
ante frater *HIERONYMUS* dictus: factus  
Minister Generalis, Cardinalis, & Epif-  
copus Prænестinus, posthæc Pontifex  
elect: A 1288. Justitiæ & pacis inter  
Christianos Principes conciliandæ  
studiosissimus, honores & beneficia Ec-  
clesiastica, nullo respectu sanguinis,  
sed tantùm meritorum æstimatione  
contu-

contulit. Obiit A. 1292. PROPH: Malach: *Picus inter escas*. Fuit enim *Pice-nus*. Patriâ *Esculanus*.

CLXXXIV. CÆLESTINUS V.

Sulmonensis Italus ex Ordine *S. Benedicti*. dictus frater *Petrus* de Morono, invitus ad Pontificatum è solitudine assumptus, postquam duobus annis, à morte *Nicolai* Sedes vacâisset, A. 1294. Vir eximix Sanctitatis, ante Pontificatum instituit ordinem *Cælestinorum* sub Regula *S. Benedicti*, fertur edixisse ne deinceps Romani Pontifices & Cardinales equis veherentur & mulis, sed tantùm Asinis, Christi nimirum exemplo. Cum rebus agendis parum idoneus videretur, coram omnibus in Consistorio mitram, annulû, sandalia deponens, liberè se Pontificatu abdicavit An. 1294. & quinquennio post, vitâ excessit, Sanctitate & miraculis clarus. Anno 1299. PROPH: MALACH. *Ex eremo Celsus*. Antea *Petrus* de Morone vocatus, *mororum* autem Italis sonat *Celsus*.

CLXXXV. BONIFACIUS VIII.

Italus Anagninus ex Cajetanorû nobili Pro-

Profapia elect: An. 1294. Vir Jurium peritissimus, unde & Librum Sextum decretalium collegit. & legi in Scholis, ac in judiciis observari mandavit. Multa adversa perpeffus à *Philippo pulchro* Rege Gallix & Principibus *Columnnis*, quorum duos Cardinalatûs honore exuit, quòd turbarum auctores fuerint; præfuit laudabiliter Ecclesiæ, quanquam non absque notâ nimix severitatis. Obiit A. 1303. d. 15. Octob. **PROPH: MALACH: Ex undarum Benedictione.** Ante Pontificatum *Benedictus* Cajetanus dictus. Cujus insignia, *Vnda.*

Passim de hoc Pontifice dicitur & legitur, *Bonifacius intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut canis*: sed hæc Calumnia est à *Columnnis* potissimum inflicta, & à *Rubeo*, *Nauclo* & *Bzovio* sincerè refutatur. Non (ut mendax fama est) rabiofi ad instar canis mortuum esse, præmorsis præ rabie dentibus & cerebro ad muros carceris alliso, cui à *Sarra Columnio* inclusus erat, miraculoso eventu cœlum probavit. Siquidem anno 1605. die 15. Octobr: (anniversario scilicet à *Bonifacio* ante trecentos & duos annos obitæ mortis) in Vaticanæ Basilicæ ampliacione. Jussu *Pauli V.* Sarcophagus *Bonifacij VIII.* referatus est, ad

ad famæ hujus explorandam veritatem; & corpus adhuc prorsus ab omni putredine incorruptum ( si minimam nasi particulam exceperis, quæ tabe diffluxerat ) digiti in utraque manu integerrimi, cranium in capite omninò illæsum repertum est. *Confundantur igitur, & revereantur omnes, qui tam mordaci dente arrodunt Christos Domini.*

## S. 2. Imperatores Romani In Oriente.

CIV. **A**LEXIUS IV. cùm A. 1203. *Alexium III.* deturbasset ab *Alexio Duca* peremptus est A. 1204.

CV. ALEXIUS V. qui cognominatus est DUCAS MURZUPHUS eodem anno quo invasit Imperium captâ rursus Constantinopoli vitâ & Imperio orbatus est.

CVI. BALDUINUS I. ex Latinis qui Orientis Imperium obtinuit, sed non diu tenuit, siquidem An. 1205. in bello captus, & brevi pòst peremptus est. An. 1206.

CVII. HENRICUS II. Orientis Imperator Latinus frater Balduini Obiit A. 1216.

CVIII.

CVIII. PETRUS Altifiodorensis  
*Henrici ex Solanda filia nepos, à Theo-*  
*doro Lascari perfidè trucidatus A. 1222.*

CIX. ROBERTUS *Petri* filius te-  
net Imperium & moritur A. 1229.

CX. BALDUINUS II. Roberti fi-  
lius potitur Imperio, sed dejectus &  
è Græcia expulsius à Michaële Palæo-  
logo A. C. 1259.

CXI. MICHAEL VIII. Cogno-  
mento PALÆOLOGUS usurpat Imperi-  
um & Græcis restituit, quod ab urbe  
Constantinopolitana capta per 55. an-  
nos Galli administrant. Moritur A. 1283.

CXII. ANDRONICUS Senior Pa-  
læologus Michaëlis filius Imperium  
capit A. 1283. & retinet ad annum us-  
que 1332, vitæ ultimum.

### *Imperatores Occidentis.*

XXVI. FRIDERICUS II. Patre na-  
tus *Henr. VI.* (qui filius fue-  
rat *Barbarossa*) Imperator coronatus ab  
*Hugolino* Episc. Ostiensi & legato Apo-  
stolico An. 1220. Infensissimus hostis  
Sedis Apostolicæ, & trium Pontificum

*Hono-*

*Honorij III, Gregorii IX, & Innocentij IV,*  
 à quibus multis beneficiis ornatus fuit,  
 persecutor supra modum: tyrannus er-  
 ga cruce signatos milites, Sacerdotes  
 & Episcopos, Romanæ Ecclesiæ ex-  
 tremam perniciem intentavit, ut vi-  
 dere est in versibus quos *Gregorio IX.*  
 transmisit.

Roma diu titubans, longis erroribus acta

Corruet, & mundi desinet esse Caput.

Fata volūt, Stellæq; docent, aviūq; volatus,

Quod *Fridericus* ego malleus orbis ero.

*Responsio Gregorij IX. Pontificis ad  
 insolentes minas Friderici.*

Niteris in cassum navem submergere *Petri,*

Fluctuat, at nunquam mergitur ista ratis.

Fata volunt, Scriptura docet, peccata lo-  
 quuntur,

Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

tandem, cum Saracenorum & Turca-  
 rum auxilio adversus Ecclesiam ute-  
 retur, vinculis excommunicationis ob-  
 strictus, sed ferocior factus, donec in  
 Concilio Generali Lugdunensi Impe-  
 rio denudatus est. A. 1245.

XXVII. HENRICUS VII. aliis VI.

Lanagravius Thuringiæ S. *Elisabetha*

Mari-

maritus contra *Conradum Friderici II.* Filium, Imperium tenuit obiit A. 1248.

XXVIII. *GUILLIELMUS* Hollandiæ Comes hastis confossus An. 1255. cum regnâisset A. 9.

Gualterius in sua Chronologia post *Fridericum II.* ponit *Henricum VII. Guilielmum, Conradum, Richardum, Alphonsum, Castellæ Regem,* & de omnibus his ait incertum esse, an Imperatorum an Regum duntaxat titulo usi sint, præsertim cum *Richardus,* eò quod contemptum se videret cesserit, & *Alphonsus* sponte etiam abdicaverit. Unde à quibusdam inter *Guilielmum* usque ad *Rudolphum* ab Anno scilicet 1255. usque ad an. 1273. interregnum ponitur. *Genebrardus* in Pontif. *Innocent. IV.* ita notat. *Friderico II.* excommunicato, & decreto Concilij expoliato imperio, vacavit Imperium per annos 28. usq; ad *Rudolphum.* Interea multæ ortæ sunt dissensiones inter principes ob electionem Imperatorum, & tres ordine electi sunt, non quidem Imperatores, sed Reges Romanorum. Primò enim electus est contra *Fridericum,* *Henricus* Landgravius seu Comes *Hassiaë & Thuringiaë,* qui non consecutus coronam Imperii obiit An. 15. Regni, vivo adhuc *Friderico,* qui ad omnes Pontificis execrationes noluit cedere imperio. Mortuo *Henrico* an. 1259. Statim ab Imperij Electoribus Procurante Pontifice per

per legatum *Petrum Caputium* contra *Friedericum & Conradum* filium designatus est Rex Romanorum & coronatus *Wilhelmus* Comes *Hollandiæ*, quo mortuo 7 anno Regni, electus est à 2 Elector: & quibusdam principibus *Richardus Cornubio* Comes, sed anni Regni illius sunt incerti. Demum observandum Lectori hoc loco mirè variare historicos, alii numerant *Conradum* filium *Friederici* & *Wilhelmum*, ac constituunt interregnum annorum tantum 17, alii 22. alii sedem Imperij vacasse negant. Difficile est, in hac perturbatione rerum, catenam concordie historice fabricare.

XXIX. RUDOLPHUS I. Comes *Habsburgicus* alij *Hauspurgicus* de cujus elect. *Trithemius* in Chronico Monast. *Hirsau*. *GREGORIUS* audiens civilia bella, frequentes seditiones, ac propè infinita mala, quæ quotidie fiebant in *Germania*, quod nullus esset Imperator, monuit Electores ut ad certum tempus Imperatorem aliquem designarent, qui elegerunt *Rudolphum Habsburgensem Comitem*, PLURA DEBENTEM VIRTUTI QUAM FORTUNÆ. In *Helvetios & Burgundos* quater & decies repetitis pugnis, & totidem palmis gloriosus. *Ottocarum*

Bohemiæ Regem armis & contemptu fractum ad veniam adegit, iterumq; reparatis viribus tumidum acie vicit à milite gregario peremptum. Inde *Austria*, quæ antehac *Bohemia* regno unita erat, *Alberto* filio data celeberrimæ, regumq; feracissimæ familiæ impofterum nomen dedit. Obiit propè Spiram Germairshemii A. ætat: 74. Imp: 18. Christi 1291. SYMB: *Melius bene imperare, quam imperium ampliare.* Pro notitiâ historicâ Augustissimæ Domûs, ejusdem exordia & propagatio lectori hîc proponitur.

*Familia Comitum Hauspurgicorum propagatio à PHARAMUNDO PRIMO Francorum in Germania Rege.*

**P**HARAMUNDUS I. Francorum in German. Rex A. C. 420. CLODIOCRINITUS Pharamundi filius.\* MEROVEUS.\* CHILDERICUS.\* CLODOVEUS Primus, Christianus Francorum Rex A. C. 541.\* CLODOMIRUS.\* THEODERICUS I.\* THEO-

AB ANNO 1200. ad 1300. 235

THEODEBERTUS I. \* THEOBAL-  
DUS. \* CHILDEBERTUS I. \* CLO-  
TARIUS I. \* CHEREBERTUS. \* SI-  
GEBERTUS I. \* CHILPERICUS I.  
\* GUNTHRANNUS. \* CHILDE-  
BERTUS II. \* THEODEBERTUS  
II. Francorum Austrasiorum Rex SI-  
GEBERTI Austrasie Regis Pater, à  
quo exule & Regni paterni extorre na-  
tus est SIGEBERTUS CONTINENS  
dictus Comitum Hauspurgensium  
Primus.

*Comites Hauspurgenses per  
quos Originem ducunt ab AUSTRASIAE  
Regibus AUSTRIACI  
Caesares.*

*Cum Cognomentis quae illis sua cuique  
atas attribuit.*

SIGEBERTUS *Continens* Sigeberti  
Austrasie Regis filius, Comes Hau-  
spurgensis I. \* OTTOPERTUS, *Gra-  
vis* II. \* BABO, *Gratus*, III. \* ROTHE-  
RIUS, *agens*, IV. \* HETOPRECHTUS  
*Cantus*, V. \* RAMPRECHTUS *Gratio-  
sus*, VI. \* LUITHARDUS *Religiosus*, VII.

L 2

GUN-

\* GUNTRAMNUS Primus *Fortis, VIII.* \* LUITFRIDUS *Laudatissimus, IX.* \* HUNFRIDUS *Honoratus X.* \* GUNTRAMNUS Secundus *modestus, XI.* \* BERZO *Fortis, XII.* \* ROPATO *Constans XIII.* \* BERNHERUS *Liberalis XIV.* \* OTHO *Prudens XV.* \* ALBERTUS Primus *Divus XVI.* \* ALBERTUS Secundus *taciturnus XVII.* \* ALBERTUS Tertius *Sapiens XVIII.* \* RUDOLPHUS MAGNUS, primus Comitum Hauspurgensium IMPERATOR, à quo descendunt qui hìc sequuntur, (Si septem exceperis, qui intermixti fuerunt) AUSTRIACI IMPERATORES.

XXX. ADOLPHUS Comes Nafovius Moguntiaë Imperio exutus A. 1298. in Prælio manu ALBERTI Austriaci confossus, & Spiræ sepultus An. 1300. SYMB: *Animus est qui divites facit, & aliud prestat vir sine pecunia, quàm pecunia sine viro.*

XXXI. ALBERTUS I. AUSTRIACUS TRIUMPHATOR dictus, Imperator creatus A. 1299. Regnavit usq; ad  
annum

annum 1308. quo à *Ioanne* fratris sui filio, & conjuratoribus occisus, & Spiræ sepultus, SYMB: quod optimum, idem & jucundissimum.

§. 3. Concilia.

**M**ompeliense, five Montis Pessulani An. 1214. \* Concilium Duodecimum generale, Lateranense IV, sub *Innocentio III* celebratum à Patribus plus, quàm 1280. Interfuerunt Archiepisc: 70. Episc. 400. Abbates 12 Priores Conventuales 800. Patriarchæ 2. Deputati Patriarcharum 2. Legati Imperatorum Occident. & Orient. Oratores Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Jerosolym: & Cypri Anno 1215. Oxoniense in Anglia An. 1222. Germanicum contra Simoniacos & concubenarios An. 1225. Londinense An. 1237. Decimum tertium Generale Concilium, Lugdunense primum Generale sub *Innocentio IV.* contra Imperat: *Fridericum II,* & pro terra Sancta recuperanda: in quo communi omnium consensu *Fridericus* Imperio pri-

vatus est, & *S. Ludovicus* Galliae Rex expeditionis terrae Sanctae caput constitutus est. A. circiter 1244. Decimum quartum Concilium Generale, Lugdunense generale II. à 1000. circiter Patribus quorum 500. Episc: celebratum sub *Gregorio X.* pro terra Sancta & contra Graecorum errores. A. 1274.

#### *S. 4. Schismata Nulla.*

#### *S. 5. Propagationes Fidei.*

**T**artaria cum Rege *Cassabaim.* \* *Livonia* iterum An. 1224. \* *Prussia* per milites Ord: Teutonici. \* *Jaziges.*

#### *S. 6. Persecutiones Fidei.*

**A** Machometanis A. 1289 Septem Franciscani, & totidem an. 1221 occisi. \* Innumeri Christiani obtruncati à *Mendano* Lithuanorum Duce Apostata. \*

#### *S. 7. Sanctitate Clari.*

**S.** *Dominicus* 1221, *S. Franciscus* 1226, *S. Antonius Patavinus* 1230 *S. Helvilibis Polonia ducissa* 1243 *S. Luduardus* 1246.

1246. S. Clara 1252. S. Ludovicus Rex  
Gallia 1270. S. Ivo 1280 S. Rochus 1287  
S. Albertus Carmelita. 1292 S. Nicolaus  
de Tolent: 1295. S. Ludovicus Tolosan: 1297.

§ 8. *Hæretici.*

**A**lmaricus, Guilielmus de S. Amore. Flagellantes, Gerardus Sagarellus. Hermannus caput Fratricellorum qui & Bisochi. Desiderius Longobardus. Petrus Joannis. David de Dinanto.

§. 9. *Initia Religiosor. Ord.*

**D**ominicani inchoantur 1201. approbantur ab *Honorio III.* 1216. Trinitarii. à *Ioan. Mattha ac Felice.* 1208. Franciscani 1216. Moniales S. Clara 1220. Eremitæ S. Pauli, ab *Eusebio Strigoniensi.* 1215. Sylvestrini. 1231 Eremitæ S. Augustini Ortum habuerunt A. 400. In unum Collecti A. 1243 Carmelitarum antiquum institutum mitigatur 1248. Servitæ 1251. Cælestini 1274. Militia Montefiæ 1233. Equites gloriosæ Virginis 1253. Ordo B. Mariae de Redemptione Captiv. per *Jacobum Aragoniæ Regem* Barcinone.

§. 10. *Initia Regn. & Princ.*

**G**alli & Veneti expugnatâ Constantino

tinopoli contra *Alexium* Comnenum,  
 qui *Isacium* Comnenum fratrem de-  
 tinebat in carcere, inter se conveniunt,  
 ut Galli Imperatorem Gallum, & Ve-  
 neti Patriarcham Venetum darent: Illi  
*Baldunum* Flandrum, hi *Thomam*  
*Maurocentum* nominârunt A. 1200. Sic  
 Imperium Orientis cœpit esse, & man-  
 fit penes Gallos 60. ferme annis. \* *Im-*  
*perii Trapezuntini* initia circa an. 1203.  
 \* Etsensibus Ferraria, Majorica Ara-  
 goniis obtingit A. 1231. \* *Lovanienfis*  
*Comitatus* in *Ducatum Brabantia* mu-  
 tatur 1247. \* Latini post annos circiter  
 55. iterum imperio Orientis dejecti à  
*Michaële Paleologo I.* cum enim obiter  
 tantum Græci tentarent Constantino-  
 polim, eandem ceperunt, operâ non  
 nisi 800. militum: sic deinceps Impe-  
 rium Orientis annis fere 200. remansit  
 penes familiam *Paleologi*, donec *Ma-*  
*chometes* Turca Bizantium occupavit.  
 \* Chius fit Genuensium A. 1260. \* Si-  
 cilia variè occupatur 1265. \* Mortuo  
 duce Austriæ sine liberis, ex Concilio  
 Principum, Austria, Styria, Tyrolis, &  
 Carin-

Carinthia *Rudolphi* Imper; Filio *Alberto* atque deinceps familiæ ejus cedunt  
 1282.\* mox etiã Burgund: & Bohemia.

S. II. *Instit. Sacror. Rituum.*

**C**ampanæ sonitus tum ad conse-  
 crationem 1216 ab *Honorio III:*  
 tum ad salutationem Angelicam 1227  
 decretus à *Gregor. IX.* \* Inquisitio in hæ-  
 reticos instituta in Hispaniis A. 1229.\*  
 Festum SS. Sacramenti post octavam  
 Pentecostes feria V. Institutum ab *Ur-  
 bano IV. A. 1264.* *Thomas Aquinas* com-  
 posuit officium illius festi, cum Hym-  
 no & Prosa, eaque ad *Urbanum PP.* mi-  
 sit. *Genebrar. in Urbano IV.* Quod ve-  
 rò idem addit de circumgestatione Corpo-  
 ris Christi nimirum incepisse modò circum-  
 ferri in Processione centesimo anno post, id-  
 que Papiæ, unde mos ille in alias Occiden-  
 tis partes dimanaverit, hoc restringendum  
 est ad specialem festi hujus solemnitatem;  
 cum longè antiquiorem esse, & ad alios eti-  
 am dies festos pertinere hanc Cæremoniam  
 constet ex Concilii *Bracarenfis* II. Cap. 5  
 Quod habitum An. 675.\* Necessitas con-  
 firmationis Religiosorum ordinum in-  
 ducta.\* Magisterium S. Palatii & con-

clave ad electionem Papæ Institutum à *Gregorio X* A. 1274. \* Initium confraternitatum pœnitentium Laicorum per *S. Bonaventuram* Romæ A. 1270. \* Genuflexio ad *Homo factus est*, agente *S. Ludovico*, ut & ad illud in *Passione*, *exspiravit*. \* Jubilæi centenaria celebratio decernente *Bonifacio VIII.* qui primò celebravit A. 1300. innumeraibili populorum ex omnibus orbis partibus accursu.

### §. 12. *Nova Reperta & Natales Urbium.*

**I**nfigne tentorii inventum ad *Fridericum* Imperatorem à *Soldano* missum, in quo *Solis & Lunæ* Imagines artificiosè motæ cursum suum spatii debitis peragebant, & diei noctisque horas signabant. \* *Straubinga* constructur A. 1208.

### §. 13. *Sacri Script: & Theol:*

*Innocentius III. P. D. Raimundus de Pennaforti. Iacobus de Vuriaco. Vincentius Belvac: Episc. Thomas Cantipratanus Episc. Durandus Mimacensis Episc. Nico-*

*Nicolaus de Lyra. Nicephorus Callistus S.  
Guilielmus Alvisiodor: Episc. 1200. Guili-  
elmus Parisiensis Episc. Albertus Mag-  
nus Dominic. Alexander Alensis. Fran-  
cisc. 1240. S. Bonaventura Episc. Cardin.  
Franc. S. Thomas Aquinas Dominic: 1270.  
Ægidius columna Augustinian: Ep. 1280.*

*S. 14. Aliar. Discipl. Periti.*

*Iur. Jacobus de bello visu. Roffredus Be-  
neventanus. Henricus de Segusia. Ostiens.  
Episc. Ægidius de Fuscariis. Guilielmus  
Durandus, Speculator. Bonaquida Areti-  
nus. Accursius, Odofredus, Med. Hugo A-  
tratus. Math. Vitellio. Thebit. Arabs. Jo-  
an. à Sacro Bosco. Alphonsus X. Rex Ca-  
stellæ. Philos. Alfredus Robertus. Kilvar-  
bius. Petrus Hispan: Michaël Scotus. Ro-  
bertus Capito. Hist. Saxo Grammat: Gode-  
fridus Viterbient: Conradus Ursbergenf:  
Martinus Polonus. Poet: & Rhet: Josephus  
Iscanus.*

*S. 15. Strategi & Prælia.*

*Simon Monfortius Tolosanorum &  
Aragonum 100. Millia fundit An.  
1215\* Conflictus Tornacensis admo-  
dum cruentus A. 1214. \* Azo Eftenfis  
ejus nominis IX. Dux fortissimus\*.*

*Matthaus Mommorancius* dictus Mars Gallicanus. \* *Sigismundus* cum *Baiazete* ad Nicopolim infeliciter confligit, Burgundis enim primam sibi pugnae gloriam præripere cupientibus, filius *Joannis Audacis* Burgundiæ Ducis capitur, ducentis postea aureorum millibus redemptus: *Sigismundus* autem, qui suas copias castris nondum eduxerat, Burgundis jam maximâ parte cæsis, ipse quoque à *Baiazete* obruitur, amissoque toto exercitu, cum paucis procerum, effusâ fugâ periculum evadit, & ad suos redux ob rem malè gestam in custodiam datur. A. 1396.

### §. 16. Universitates & Scholæ Publicæ.

**U**niversitas Viennensis in Austria A. 1237 à *Friderico II.* Instituitur. \* Academia Parisiensis à *S. Ludovico* instauratur 1252. & à *Sorbono* Collegium *Sorbona* dictum instituitur & redditibus fundatur. \* *Salmanticens.* per *S. Ferdinandum* 1240. \* *Aberdornensis* in *Scotiâ* 1240. \* *Neapolitana* & *Patina*

vina per *Fredericum II.* Cantabrigensis 1277. Perusina 1290. Lugdunensis restituitur 1290.

### S. 17. Res Memorabiles.

Concordantiæ Bibliorum editæ, & biblia Capitibus distincta plurimum collaborante *Hugone* Cardinali. *Genebr.* in Cælest: IV. & Innocentio IV. \* Octava Nativitatis *B. M. Virginis* Indicta in Concilio Lugdunensi, & in eodem *Pileus Rubens* attributus Cardinalibus ab Innocentio IV. quo monerentur se, ubi necessitas postulabit paratos esse debere ad Sanguinem pro Ecclesia fundendum An. 1245. \* Bella Sacra varia per *S. Ludovicum* Regem & alios \* Ob præclara officia Regiasq; munificentias quibus usi sunt Gallix Reges erga Sedem Apostolicam: (qui nimirum suis sumptibus septem, octovè Romanos Pontifices in suam, ex qua deturbati fuerant, Sedem vindicarunt,) Titulus CHRISTIANISSIMI Gallix Regibus datur ab *Innocentio IV.* ut videre est in *Bullâ* an: 1243  
ad

ad Gallix Regem ut *Talmud* cum glos-  
 sis suis concremandum curaret, directâ.\*  
 Germani nomina Sanctorum impo-  
 nere cæperunt suis in baptismo, cum  
 antea plerique adhuc peregrinis Scy-  
 tharum appellationibus uterentur *Ge-  
 nebrard.* in Innocentio IV.\* *VVerne-  
 rus* ex Trevirensi agro rustica Chri-  
 stiana progenies clam à Judæis raptus,  
 & crebrâ acuum ac cultellorum, ad  
 eliciendum Sanguinem interpunctio-  
 ne perimitur: sed miraculorum luce  
 crudelitas detegitur. A. 1287.\*

### § 18. *Signa & event. Trag.*

**C**ometa insignis apparuit A. 1211.  
 \* Lues ingens pecorum in Gal-  
 liâ & Germania A. 1223.\* in Frisiâ mare  
 effusum centū hominum millia mer-  
 git A. 1218.\* Mons in Burgundiâ de-  
 hiscens multa millia rusticorum op-  
 primit. 1241.\* *Carolus* Andegavensis  
 frater *Ludovici* sancti à *Clemente IV.* u-  
 triusque Siciliæ Rex inauguratus *Con-  
 radinum* *Conradi* Sueviæ Ducis filium,  
 qui avitum regnum repetiturus cum  
 exer-

exercitu venerat, victum, & unâ cum *Friderico* cognato *Austria Duce* ex fuga captivum factum Neapoli utrumq; capite truncat, Summo jure, & si non Summâ injuriâ, Summâ tamen invidiâ. A. 1268. in *Conradino* autem *Fridericorum* excisa stirps est sic cœlo annuente, ne hostibus Ecclesiæ liceret in posteris perennare. \* *Ioannes* Papa antè dictus *Petrus Hispanus* hostis religiosorum post Octimestrem Pontificatum obruitur domûs suæ ruinâ An. 1277. \* *Vespera Sicula*, hoc nomine vocata fuit Gallorum, qui plûs octo milibus erant, cædes in Siciliâ duarum horarum spatio, ipso die Paschatis ad Vesperarum signum interfectorum, à Siculis peracta, suos singulis oppidis gallos ad unum omnes cum liberis & uxoribus, etiam gravidis, contrucidantibus. Cædis causa fuit Gallorum militaris insolentia, impudicitia, & inde excitatum in Siculis odium A. 1281. ab hac cæde Proverbium illud *Vesper Siculus*, cum subita cædes significatur.